

munis est, cuiusmodi sunt Canones primi motus Regiomontani Directionum & similes. Alij vero proponunt calculum motus stellarum tum erraticarum tum fixarum, æquinoctiorum & solstiorum magnitudinis anni, Eclipsium, Coniunctionum & similia, cuius generis sunt hæ nostræ Prutenicæ tabulæ, quas adiuti liberalitate inclyti Ducis Borussiae, magno sanè & difficili labore longi temporis condidimus, collatis inter se accurate observationibus priscis & recentibus, quemadmodum alibi hæc demonstrauius. Iam ex his omnibus manifestum est, inquisitionem cœlestium motuum fieri absq; numerorum doctrina atq; exercitio non posse. Cum autem Astronomicus calculus aliquantulum dissimilis sit vsitatis præceptis doctrinæ numerorum, etsi seorsim logistice scrupulorum Astronomicorum conscripsimus, tamen operæ precium duximus, summam præceptorum illius, quantum nostro instituto satis est, breuiter hic recitare.

## N V M E R A T I O .

Ac primum quidem satis constat, ob eandem causam & annum in duodecim menses, & zodiacum circulum in quo Sol, Luna, ac quinque errantes seu Planetæ vehuntur, diuidi in duodecim partes, quas latini signa, Græci à numero δωδεκατημόρια appellant. Intra anni enim spacium quo Sol Zodiacum perlustrat, Luna ad Solem duodecies reuertitur, totiesque diametrum ei locum transit. Ac quia interea, dum Luna a Sole digressa eundem rursus consequitur, triginta fere dies elabuntur, ideo cœli spacium quod Sol medio tempore emensus est, in totidem partes secari intelligitur, quas à gressu Solis diurno videntur posteriores dixisse gradus. Ex his fontibus, quos natura ipsa monstrat, oritur illa hypothesis Astronomica Zodiacum & in vniuersum circulos cœlestes omnes, cum vsus postulat, cogitatione diuidi in partes 360. ac vni dodecatemorio attribui partes 30. Iam hoc ab arte non natura constitutum est, partes rursus singulas velut integra diuidi in 60. scrupula prima, vnum scrupulum primum in 60. secunda, Secundum vnum in 60. tertia, similiter tertium, quartum, quintum, in quarta, quinta, sexta, qua ratione licebit semper progredi, quoties calculi vsus requirit. Hæc scrupula vocant Græci λεπτά ἢ ἑξήκοντα. πρῶτα, δεύτερα, τρίτα, τετάρτα, πεμπτά, ἕκτα, & sic vltius, Prætulit autem reliquis numeris erudita & ingeniosa antiquitas sexagenarium ob eam causam, quia inter minores nullus alius adeo multiplici-

*Circulus cœlestis diuisus in*

*δωδεκατη-*

*μόρια vel duo-*

*de. im signa.*

*Partes vel gradus 360. cuiusq; circuli.*

*Scrupula sexagesima.*

*Numerus sexagenarius.*